



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Narbonensi Archiepiscopo & Episcopo Vticensi apostolicæ sedis Legatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO
& Episcopo Vticensi apostolicæ
sedis Legatis.

Epist. 168.
Commendat
eius eundem
Marcum.

ET si minimè dubitemus quin nuntios nostros quoslibet & in quibus convenit honoretis, quia tamen illos volumus propensius honorari quos pro suorum exigentia meritorum habemus inter alios cariores, pro iis affectuosius vos rogamus. Hinc est quòd eum dilectum filium magistrum Petrum Marcum Subdiaconum nostrum correctorem litterarum nostrarum pro colligendis censibus Ecclesiæ Romanæ ac aliis negotiis destinemus, ipsum tanto vobis attentius duximus commendandum quanto & personam ipsius probitatis suæ merito carius amplexamur & negotia ipsi committimus potiora. Ideoque fraternitatem vestram rogamus attentius & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eundem magistrum ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram tanquam specialem nuntium nostrum habentes propensius commendatum, impendatis ipsi consilium efficax & auxilium opportunum, ut ipse injuncta sibi negotia ope vestra suffultus valeat auctore Domino feliciter consummare, ac nos devotionem vestram meritò commendare possimus. Datum ut supra.

UNIVERSIS PRÆLATIS
Ecclesiarum Ecclesiæ Romanæ censualium
per Narbonensem, Arelatensem, Aquensem,
& Ebrudunensem provincias, & Albiensem,
Rutenensem, Caturcensem, & Agen-
nensem dioceses constitutis.

Epist. 169.
De eadem re.

Cum dilectum filium magistrum Petrum Marcum Subdiaconum nostrum pro colligendis Ecclesiæ Romanæ censibus & aliis negotiis destinemus, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsum, qui suæ merito probitatis nobis & fratribus nostris carus & acceptus existit, ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram tanquam specialem nuntium nostrum recipientes benignè ac honorificè pertractantes, census nobis debitos fideliter exsolvatis eidem; ita quòd gratiam vobis ex debito comparetis, & nos id meritò gere debeamus acceptum. Datum ut supra.

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO
apostolicæ sedis Legato & suffraganeis eius.

Epist. 170.
Super eodem.

Licet summi patris familias exemplo, cujus vicem immeriti eodem gerimus

disponente, quod uni ex minimis nostris fit, nobis factum rationabiliter reputemus, illos tamen volentes propensius honorari quos propriæ merita probitatis nobis advehunt carius amplexandos & honore constituunt digniores, pro iis specialius devotis nostris, cum expedit, preces dirigimus & mandata. Cum igitur dilectum filium magistrum Petrum Marcum &c. ut supra usque destinemus, fraternitatem vestram rogamus attentius & monemus, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus ipsum, qui suæ merito probitatis nobis & fratribus nostris carus & acceptus existit, ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram tanquam specialem nuntium nostrum recipientes benignè ac honorificè pertractantes, de censibus vestris faciatis eidem in diocesis vestris fideliter responderi; ita quòd sollicitudinis vestræ studium pareat in effectu, & nos devotionem vestram debeat commendare. Datum ut supra.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopo Arelatensi & suffraganeis eius, Aquensi Archiepiscopo & suffraganeis eius. In eundem modum suffraganeis & Capitulo Ebrudunensis Ecclesiæ.

NOBILI VIRO SIMONI
de Monteforti Comiti Leicestræ,
Vicecomiti Biterrensi.

Nobilitati tuæ gratiarum dignas referimus actiones quòd, sicut dilectus filius frater Constantinus conversus Cartusienensis nobis exposuit, tu volens nobis in mille marcis argenti liberaliter subvenire, Raimundum & eliam de Caturcio fecisti juramento præstito corporaliter obligari ut eas cui voluerimus nomine nostro persolvant. Ideoque devotionem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus dilecto filio magistro Petro Marco Subdiacono nostro correctori litterarum nostrarum, cui hoc duximus committendum, sine difficultate facias nostro nomine assignari. Datum ut supra.

TOTIUS PROVINCIE ET
Montispeffulani, sancti Egidij, & Arelatensis domorum militie templi magistris.

Devoitionem vestram monemus attentè, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus cum à dilecto filio magistro Petro Marco Subdiacono nostro correctore litterarum nostrarum fueritis requisiti, pecuniam quam vo-